



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Class  
9368  
18

WIDENER LIBRARY



HX GFHH T



Class 9368.18



Harvard College Library

FROM

*Trans from*  
*D. S.*





Class 9368. 18



Cover.

12296.25

DE  
ORIGINE DAMII.

---

AD CELEBRANDA

ACADEMIAE BORUSSICAE RHENANAE  
PRIMORDIA

SCRIPTIT  
*Karl Dietrich*  
C. D. HÜLLMANN,

PHIL. DR. HIST. P. P. O.

SOCIETATI REG. LITT. GÖTTING. ADSRIPTUS.

*F. Lisch*

---

BONNAE

EX OFFICINA P. NEUSSERI, TYPOGRAPHI.

MDCCCXVIII.

Trans. from  
D. G.  
June 7, 1881.

---

**S**cripturus de Romanorum *Damio*, et in universum de *mysteriis per matronas celebratis*, minime is sum, qui impeditum hoc argumentum ita tractare posse mihi videar, ut ad finem perducatur, nec quidquam relinquatur iis, qui rem denuo in quaestionem vocare velint. Etenim fieri potest, ut, quae haud magna mea est grammaticorum, scholiastarum, aliorumque id genus scriptorum notitia, complures eorum loci me fugiant, quos si cognitos haberem, rectius et accuratius argumentum meum perstringerem. Non deerunt igitur, qui, ubi eiusmodi auctores in consilium adhibuerint, rem melius expediant. Praeterea libellum improbabit homines docti, quorum de *mysteriis* opinio a mea abhorret, ita quidem, ut, quum illi imaginem horum sacrorum a priscis hominibus animo conceptam fuisse statuant, ego met originem ex historiae fontibus repetendam esse arbitrer.

Ut ut est, hoc pro certo ponere licet, quod *mysteriis* ubique cultus Dionysi et Cereris significatur. Discrimen enim inter *mysteria* et *teletas* intercedit, quamvis alterae saepe cum alteris confunduntur: cujus erroris unum modo exemplum, de Braurone narratum, proferre liceat. Ritibus vel maxime miris, qui ad ursam referebantur, Dianae ibi sacrabantur puellae ad summum decem annos natae. Falso autem de his ritibus, qui in vulgaribus tantum initiis vel *teletis* habendi



sunt, mysteriorum vox usurpatur 1.). Atque neminem esse puto, quin Cereris et Liberi cultum ex hilari festo profectum affirmet, quo fruges uvaeque collectae ab universo populo celebrarentur. Athenienses prae ceteris Dionysiorum eorum, quibus omnes qualescunque cives, sine ullo ritu arcano, interfuerunt, alia in urbe ipsa habuerunt, alia in agris. Memorantur haec rustica potissimum de Piraeo 2.) Munychia 3.), Braurone 4.), Colytto 5.). Ac Germanis quoque septentrionalibus antiqui aevi simile festum erat, quod nihil obstat quo minus ad celebratas anni fruges referri censeamus, solennia *Iulia* dico 6.). Neque enim *Iuliorum* nomen ab alio, nisi a vocabulo graeco *Iulos* sive *Ulos*, derivandum est, quo quisque in Cererem ejusque filiam hymnus denotabatur 7.), licet proprie manipulum sig-

1.) Aristoph. *Lysistrate* 646, et *ibid.* Schol.

Suidas vv. *ursa*, *Embaros sum*.

Eustath. p. 331.

Quum in urbis nostrae officina typographica typi nondum extent, quibus verba graeca imprimantur, latino sermone haec interpretarer necesse fuit.

2.) Demosth. adv. Midiam, Reisk. p. 517.

Aelian. var. hist. II. 13.

3.) Thucyd. VIII. 93.

4.) Schol. Aristoph. pax, 874. 876. (Pentaeteris).

5.) Demosth. de corona, R. p. 288.

6.) Ynglinga saga, c. 8. ap. Snorron. Sturluson., in Heims-Kringla, edr.

Noregs Konunga Sögor. Havniae p. 13.

7.) Semus Delius ap. Athen. XIV. Casaub. p. 618.

Pollux I. 38.

Eustath. p. 1162, lin. 41 seqq.

nificaverit, unde Cereri<sup>7</sup> nomen inditum occurrit *Iulo* sive *Ulo* 8.). Ad idem *Iuliorum* festum spectat sine dubio pavimenti eo tempore stramine consternendi mos, qui vocabatur *Iul-Halm* 9.).

Iam si ex his festis mysteriorum originem repetere, repetitamque lectorum censurae subicere cogito, a coloniis antiquissimi aevi ubicunque conditis exordicendum videtur, quae dici non potest quantam vim habuerint ad constituendos tantum non omnes et reipublicae et religionis ritus ac formulas. Itaque si alicubi advenarum grex condisset, terraque potitus esset, mutuorum matrimoniorum vinculo iunctus, patria sacra servavit. Quae quum primis temporibus plerumque aut Dionysia aut Cerealia essent, mysteria, quae inde orta esse conicio, non fuerunt antiquitus nisi sacra *gentilicia* eaque *privata*. De Eleusiniis quidem ejusmodi origo in dubium vocari nequit, quae qui sacra Eumolpidarum gentilicia fuisse vel ignorat, vel negat, ne primas quidem historiae mysteriorum lineas assequutus est. Cabirom quoque gentem in terra Thebana quondam non modo sacra sua privata, sed etiam civitatem propriam, habuisse constat 10.). Est autem explicandum, qui fieri potuerit, ut ex sacris principum gentiliciis popularia, quae vocata sunt, nascerentur. Hoc ut melius explanetur, respicienda est mens antiquissimi aevi, quae ita tulit, ut viri, qui sacris solennibus praessent, in quibus faciundis splendor quidam

8.) Didymus ap. Schol. Apollon. Rhod. I. 972; — Schol. cod. Paris. ed. Brunck. p. 78. 79.

Hesych. h. v.

Athen. et Eustath. I. c.

9.) Olaf Tryggweson saga.

10.) Pausan. IX. 25. §. 6.

et rituum gravitas observaretur, ubicunque in plebis animo magnam de se opinionem excitarent, maxime si ejusmodi cerimoniae ex aetate obscura descendebant, quae tempus historicum antecessit. Accidit autem haud raro, ut gentem imperantem, quae dicto modo sacra sua privata servaret, serius ocius alia peregrinorum turba, pollens armis et multitudine, sequeretur. Quod si in tali terra devictae gentis regiae sacra ita comparata erant, ut victorum ambitioni obficere, eorumque fastigium et gloriam apud vulgus imminuere possent, domini novi importune et per vim sese iis applicuerunt. Ita in Aegypto reges ii, qui ordini sacerdotum non adscripti erant, ei se adscribendos curaverunt: in eam enim partem narratio accipienda mihi censetur 11.). Eodem modo egerunt Athenienses, quum Eleusine potiti essent; nec multum abfuit, quin Eumolpidas a sacris suis patriis plane summo-verent. Nam in iis celebrandis non licuit nisi duobus familiae viris, antistitum munere fungi; quorum alter e seniori gentis stirpe erat, alter e juniore, qui *Kerykes* nominabantur 12.). His adjuncti erant ex Athenarum civibus tum in universum bini antistites 13.), tum e singulis tribubus decem curatores sacrificiorum 14.): quibus quatuordecim viris rex sacrificus praefuit 15.). Ita cerimoniam, qua quis ejusmodi societati arcae adscribebatur, pro *cooptatione in gentem*, eaque non semper voluntaria, habere ausim.

11.) Plato, *politicus*, ed. Bekker. P. II. Vol. II. p. 319.

Plutarch. de Iside et Osir., ed. Reisk. Vol. VII. p. 392 seqq.

12.) Pausan. I. 38. §. 3.

13.) Harpokr. et Etymol. v. Epimeletes.

14.) Pollux VIII. 107.

15.) Id. VIII. 90.

Etymol. I. c.

Neque vero spergere possum, quin de matronis agam, quarum erat, sacra quaedam in operto facere. Ac difficillimum est dictu, quid fuerit causae, cur in terris orientalibus mulieres potissimum vindemiam frugesque collectas celebrarent, et illud quidem cum impudentia et vesania, qua nihil potuit reperiri vehementius, nihil, quod sexus istius verecundiae, vitaeque, quam alioquin degeret, solitariae, magis repugnaret. Hanc in quaestionem descendere quum a consilio meo alienum sit, sufficiat, Baccharum, Maenadum, sive Lenarum 16.) ex Asia originem repetere; unde et Bassaridum 17.) et Mimallo-num 18.) nomina orta sunt. Ut de harum, ita de Thyiarum 19.) vel Thyiadum nominibus certe nihil constat. Ferunt quidem, primae Dionysi Delphici sacerdoti nomen fuisse Thyiae, unde idem omnibus, quae sacra ejus curarent, furentibus feminis remanserit 20.); cujus tamen narrationis auctor alio loco perhibet, apud Eleos Dionysi sacra ipsa appellata esse Thyia 21.). Quum vero et Cereris cultum prae ceteris feminae curarent, nominata haec dea est *muliebris* 22.).

Quaeritur autem, quibus argumentis origo sacrorum illorum, in operto a matronis factorum, firmetur. In gravissimis ea quidem habenda non esse confiteor; neque tamen est, quod in quaestione tam

16.) Strabo X. Alm. p. 717.

17.) Pers. I. 100.

18.) Strabo X. p. 718.

Hesych. Suid. Etymol.

19.) Strabo p. 717.

20.) Pausan. X. 6. §. 2.

21.) Id. VI. 26. §. 1.

22.) Plutarch. Caes. 9. Cic. 19.

Macrobi. Sat. I. 12.

obscura, omnibusque vestigiis destituta, levius quaecumque argumentum spernatur. Ac horum primum in sacris versari puto, quae in Parnasso prope Delphos celebrata 23.) sunt; quorum altera erant Orgia annua, altera Herois, quae vocabatur, nono quovis anno parata 24.). At vero his mysteriis Clea, Delphicarum Thyiadum antistita, *a parentibus imbuta* perhibetur 25.): quo sacrorum gentiliciorum natura et ratio satis proditur. Neque difficilius haec cognoscitur ex eo, quod in Sithonia, antiquioris Thraciae terra 26.), trieterica Bacchi a nuribus, *duce regina*, agitata sunt 27.). Sacrificium quoque occultum, cui apud Romanos nomen erat *Damio*, urbi aequale, acceptumque jam a *regibus* fuisse, auctor est (qui vulgo putatur) Cicero 28.). Denique apud Athenienses in more positum fuit, ut quotannis feminas aliquas in Parnassum mitterent, quae una cum Thyiadibus Delphicis Liberi sacra curarent 29.). Quo more perantiquo quum Ionum, qui temporibus antiquissimis in Atticam invaserunt, e terra Parnassia origo indicetur, sacra Dionysi arcana non minus in hac civitate antiquitus gentis regiae privata fuisse videntur, celebrata tum in pristina patria per matronas legatas, tum Athenis ipsis in domo regia per cunctas familiae feminas.

Nec vero cuiquam mirum videri potest, plebem illam, quae imperium regium sustulisset, sicut principes victores egisse, et severi-

23.) Pausan. X. 4. §. 2.

24.) Plutarch. quaest. gr. ed. Francof. T. II. p. 293.

25.) Id. de Is. et Os. ibid. p. 364.

26.) Herodot. VII. 122.

27.) Ovid. metamorph. VI. 587 — 590.

28.) De harusp. resp. 17.

29.) Pausan. X. 4. §. 2.

us etiam. Satis enim constat, regis vel principis fastidio majorem esse patriciorum, si penes eos imperium est, superbiam et invidiam; hac autem multo majorem semper se praebere plebis dominationem et insolentiam. Igitur sublato imperio regio, nihil potius fuit populo, quam ut gentis regiae sacris implicaretur, ne, si Livii verbis uti fas est 30.), ubi ubi regum desiderium esset. Eo autem processerunt arrogantiae et impotentiae, ut sive civium, qui in magistratu essent, uxores, sive omnes civitatis matronae, sive earum aliquae, per regem sacrificum electae, solennia Dionysia et Cerealia occuparent, quae feminarum stirpis regiae *patria* essent, iisque pro *civitate* 31.), pro *populo* 32.), celebrandis sese jactarent; quin etiam *patriorum* sacrorum nomen eis imponere non dubitarunt 33.): quasi vero populus in gentis regiae locum suffectus esset. Idcirco caeremoniae occultae, quae nunc pro populo fieri dicebantur, eaque de causa vocabantur publicae 34.), Athenis in regis sacrorum 35.), Romae in consulis vel praetoris 36.) doma facta sunt, minime tamen praesente magistratu ipso; Spartae vero in aedificio publico 37.). Videri quidem possit, Romae domum fuisse pontificis maximi, in qua Bonae Deae sacra fierent. Cicero

30.) L. II. c. 2.

31.) Demosth. adv. Neaer. p. 1369. 1370. 1372. 1383.

32.) Cic. de harusp. resp. 17.

Id. Att. I. 12, extr.

Seneca epist. 97.

Martial. X. 41: „populare sacrum.“

33.) Demosth. I. c. p. 1371.

34.) Sueton. Caesar, 6.

35.) Demosth. I. c. p. 1370 seqq.

36.) Plutarch. Caesar, 9. Cic. 19.

37.) Id. amator. narrat. ult., ed. Francof. T. II. p. 775.

enim, haec per Clodium polluta sacra 38.) innuens, dicit: „Clodius, „qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, cet.“ 39.). Sed facile res eo expeditur, quod C. J. Caesar, cujus in domo Clodius flagitium commisit, tunc temporis jam pontifex maximus 40.), eodemque anno *praetor* 41.) erat; unde dice potuit, fieri sacrificium illud occultum in domo ea, quae sit in imperio 42.). Quum autem Cicero Caesaris non tamquam praetoris, sed tamquam pontificis maximi domum commemorat, non facit nisi eo consilio, ut Clodii culpam augeat.

Itaque Cereris et Liberis sacra ea, de quibus loqui nefas erat 43.), antiquitus privata quidem, sed nequaquam arcana fuisse videntur: quae quomodo factum sit, ut mysteriorum speciem induerent, explicandum restat. Atque huic mutationi per est similis illa, quam judicia quae dicuntur Westphalica medio aevo experta sunt; quae quidem primum opposita modo erant judiciis publicis, sub dió habitis, quae quae occlusis ostiis privatim exercebantur, quum plerumque de criminibus ageretur, quorum quaestio, si publice instituta fuisset, religioni et moribus obficere potuisset. Successu vero temporis, per ori-

38.) Cic. Att. I. 12. — II. 4. — dom. 39. 40. — harusp. resp. 5 et 17. — Paradox. iv, extr.

Sueton. Caesar. 6.

Plutarch. Caes. 9. 10.

39.) Cic. dom. 39.

40.) Sueton. l. c. 13.

41.) Id. 14. — Plutarch. Caes. 8 et 11.

42.) Cic. de harusp. resp. 17.

43.) Herodot. V. 83.

Demosth. adv. Neaer. p. 1369. seqq.

ginis et rationis ignorantiam, magis magisque judicia occulta inde orta sunt, quorum iudices arcto collegii vinculo, formulisque reconditis, juncti erant. Simili errore ductae, sacrorum originem et conditionem ignorantes, matronae, de quibus disseritur, Dionysia sua et Cerealia, priyatim factitata, sensim in operto 44.), et cerimoniis nocturnis 45.), celebrare coeperunt, unde mysteriorum nomen iis est inditum 46.). Ceterae res omnes notiores sunt, quam quae hic repetantur. Una tantum, cujus mentio injiciatur, digna videtur: quod posterioribus temporibus fuerunt, qui clandestinos illos et nocturnos mulierum coetus suspectos haberent 47.): nec prorsus immerito. Quae enim Athenis de Dionyso ferebantur, Lenaeorum nocte in reginae, vel regis sacrorum conjugis 48.), amplexum veniente 49.), dein quae Romae a Clodio, et in Aegypto a simili homine nequam 50.), perpetrata leguntur, utique sunt ejusmodi, ut, quid censeamus, animi pendere non possimus. Neque minus tempus nocturnum, vinum, nomi-

44.) Cic. Parad. IV.

Seneca epist. 97.

Juvenal. VI. 328.

Festus, v. Damium sacrificium.

45.) Plutarch. Caesar, 9; — amator. quaest. I. e.

46.) Cic. Att. VI. I. extr. XV. 25.

47.) Ovid. art. amator. III. 243. 244. 637. 638.

Juvenal. VI. 314.

48.) Pollux VIII. 90.

49.) Demosth. I. c. p. 1369. 1370. 1383.

50.) Ioseph. antiqq. Iud. XVIII. 3. §. 4.

Augustin. de civ. dei II. 14.



ne lactis in Romanorum Damio dissimulatum 51.), musica, et joca 52.); suspecta reddunt illa conventicula. Insuper posterioris aetatis mysteria judicare licet e turpibus sodalitiis et clandestinis conjurationibus, ad ea imitanda factis, quibus pudicitia ita offendebatur, ut Athenis 53.) Romaeque 54.) gravissima in hanc corruptelam ratio iniretur.

His ita praemissis, restat, ut, quae de Romanorum *Damio* nondum locis commodis memorata sunt, breviter congeram; comparatis tamen Atheniensium similibus mysteriis. Apud hos quidem sacra Liberi seclusa *Lenaeorum* festo 55.) celebrata esse, nihil dubii relinquitur. Nec magis ambiguum esse potest, quorsum spectet numerus ille quatuordecim *Geraerarum*, seu venerabilium matronarum, quae, a rege sacrificio ad hunc honorem provectae, ejusque conjuge duce, solennia sacrificia subiere 56.). Interpretor enim has quatuordecim eodem modo, quo illos, quos, rege duce, Eleusinis mysteriis prae-fuisse dixi, ita ut, ad horum exemplum, quatuor e praestantioribus civitatis mulieribus, reliquae decem e singulis tribubus, electae essent. Huic Atheniensium festo simile erat Romanorum *Damium*, vel, ut ejus

51.) Plutarch. quaest. Rom. 17.

Macrob. Sat. I. 12.

52.) Plutarch. Caesar 9.

53.) Ulpian. enarrat. ad Demosth. orat. de legat. male gesta, ap. H. Wolf. p. 389.

54.) Liv. XXXIX. 8. — 14.

55.) Demosth. l. c. p. 1370. seqq.

Pollux VIII. 90 conf. 108.

56.) Demosth. l. c.

Hesych., Harpokr., Etymol. v. Gerarac.

Pollux VIII. 108.

apud Tarentinos nomen fuit, *Damêum* 57.); utriusque autem ritus iidem erant, qui Orphici 58.) et Eleusini 59.), sicut *Damia* et *Auxesia*, quibus nominibus *Ceres* ejusque filia ab *Epidauriis*, *Aeginetisque* 60.) et *Troezeniis* 61.), colebantur, eadem, ac deae modo laudatae 62.). Satis autem est notum, et fere tritum, *Damiae* vocabulum descendere a Dorico vocabulo *Damos*, i. e. *Demos*, populus 63.): unde de nomine *Demeter* dubitari potest, utrum ex *Demo-meter*, an ex *Dea-mater*, contractum sit; quod enim Cicero hujus nominis etymon putat 64.), missum facio. Porro leviter attingere licet, *Damiae* apud Romanos etiam *Bonae Deae* nomen fuisse 65.), ejusque festum quotannis celebratum esse praesentibus Vestalibus 66.); summotis vero e domo, in qua agebatur, viris omnibus qualibuscunque 67.), quos,

57.) Hesych. h. v.

58.) Plutarch. Caesar. 9.

59.) Pausan. II. 30. §. 5.

60.) Herodot. V. 82. 83.

Pausan. I. c.

61.) Id. II. 32. §. 2.

62.) Schol. Aristid. pro quatuorviris, et quidem Themistocl. ed. Canter/  
T. III. p. 309, Iebb, T. II. p. 187: laud. a Valckenaer. ap. Schweigh.  
ad Herodot. V. 82.

63.) Festus, I. c.

64.) De nat. deor. II. 26.

65.) Cic. harusp. resp. 5. 17; — pro domo 40; — Att. II. 4.  
Plutarch. quaest. Rom. 17; — Caesar. 9; — Cic. 19.  
Macrob. Sat. I. 12.

66.) Plutarch. Cic. 19.

67.) Cic. harusp. resp. 5. 18; — pro domo 40.  
Plutarch quaest. Rom. 17.  
Id. Caesar, 9. Cic. 19.

si tamen mansissent vel introiissent, oculis capi vulgo garriebant 68.). Ac pro more hominum, qui in hujusmodi nugis plerumque non possunt, quin modum excedant, picturas quoque animalium masculorum contexerunt 69.).

Quae vero de mense perhibentur, quo Damii sacrificium factum sit, pugnantia sunt. Ad Ovidii 70.) aliorumque 71.), qui hunc sequuti sunt, auctoritatem se conferentes, Majum fuisse plerumque putant scriptores rerum antiquarum. At Fastorum auctor, quum *Divam Bonam* memorat canendam, solennia ejus sacra publica in templis 72.) *celebrata* intelligit, quorum in urbe duo erant ei dedicata 73.). Quae autem in consulis vel praetoris domo a matronis facta sunt sacra opertanea, haec quidem in Saturnalium tempus incidisse, ex conjunctis quibusdam colligitur. Sed priusquam hoc probare coner, monendum videtur, festum, quod, pro natura sua, autumnio celebrandum fuit, ob fastorum ante Iulium Caesarem confusionem, mense demum Decembri actum esse, quo et ipso tempore, per eundemque errorem, solennia Europaeorum septentrionalium *Iulia* celebrata sunt. Iam vero Damium hiemali tempore actum esse, e Ciceronis loco liquet, quo dicit Attico suo: certiore me facies, in quem diem Romana incidant mysteria, et quomodo *hiemaris* 74.). Qua via recta

68.) Cic. harusp. resp. 18; — pro domo 40.

69.) Seneca epist. 97.

Plutarch. quaest. Rom. 17.

70.) Fast. V. 148.

71.) Macrob. l. c.

72.) v. 153.

73.) Broukhus. ad Tibull. l. I. eleg. VII. v. 22. p. 124.

74.) Ad Att. VI. l. extr.

si, quod statuo, probatur, confirmatur obliqua. Scribit auctor idem in alia ad eundem data epistola 75.), se consularium suarum orationum decimam in senatu habuisse *nonis Decembribus*. Habemus hic temporis quoddam fundamentum, quo fulciatur quaestio. Nam in ista consulari decima, quae Catilinariarum est quarta, haec verba occurrunt 76.): „animus vere popularis *nudius tertius* in custodiam cives „Romanos dedit.“ Quibus quidem Tullii verbis significatur Senatus consultum, quo Lentulus praetor, ceterique conjurationis principes, liberis custodiis tradebantur 77.). Atqui si *nonis Decembribus* res memorata est, *tribus ante diebus* facta, sequitur, factam eam esse *ante diem tertium nonas Decembres*. De quo quidem die hic agitur. Est enim ille, quo, patefacta Catilinae conjuratione, Cicero orationem in concione habuit, consularium nonam 78.), Catilinariarum tertiam. Qua sub vesperam finita, populus oratorem consulem comitatus est ad amici domum, quum ejus propria a matronis, Damium celebraturis, jam occupata esset 79.). Itaque licet dies festi ambiguus sit 80.), de mense tamen non est dubitandum.

75.) L. II. ep. 1.

76.) C. 5.

77.) Sallust. Catil. 47.

Plutarch. Cic. 19.

78.) Cic. ad Att II. 1.

79.) Plutarch. 1. c.

80.) Cic. ad Att. VI. 1. extr.











